



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 104. Celebris conversio Henriettæ Christinæ Ducissæ  
Brunsvico-Luneburgensis & Friderici Augusti Poloniae Principis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Sæc. XVIII.  
A. C. 1712.

## §. CIV.

*Celebris conversio Henriettae Christianae  
Ducissæ Brunsvico - Luneburgensis  
& Friderici Augusti Polo-  
nicæ Principis.*

*Epist. Clem.  
XI. p. 1762.*

Tantum ponderis in animo Antonii Udalrici Brunsvico - Luneburgensis Ducis habebat agnita Catholicæ dei veritas, ut totam suam familiam pariter ad ejurandos Lutheri errores inducendi ardentissimo flagraret desiderio: Jam die decima Junii summum nuntiaverat Pontifici, quod Carolina Christina Sophia, quæ Alexio Petrovizio Petri Magni Moscoviæ Ducis Felio nupta erat, spem haud levem præberet, fore, ut ad orthodoxam religionem amplectendam facili negotio adduci posset. Eapropter Pontifex octavo die vigesima tertia Julii literis eundem Antonium Udalricum hortabatur, ut propter difficultates hujus conversioni obstantes animum nequaquam desponderet, sed in Dei præsidio speram collocans, pium propositum constantem urgeret: Verum hæc Princeps, quæ animo conceperat, morte præventæ exequi haud potuit; jamjam enim anno hujus sæculi decimo quinto die trigesima Octobris in puerperio nonnullis annis

annos nata viginti & unum Petroburgi <sup>Sæc. XVIII.</sup>  
 decessit. Felicior erat Henrietta Chri- <sup>A. C. 1712.</sup>  
 flina præfati Brunsvico - Luneburgen-  
 sis Ducis Filia. Hæc enim jam du-  
 dum Lutheri fermentum nauseata, a  
 Florentio Benedictini Monasterii Cor-  
 beiensis Abbate, in fidei Catholicæ  
 præceptis rite imbui petiit, ac demum  
 dimisso Lutherano Gandersheimienfi  
 Cænobio (\*), cujus Abbatissa erat,  
 Ruremundam in Geldria venit, ubi  
 Catholicam fidem professa in Monia-  
 lium ejusdem Urbis Monasterio man-  
 sionem sibi delegit, sanctamque ac pri-  
 vatam duxit vitam, exemplum imitata  
 Amaliæ Sulzbacensis Ducissæ, & al-  
 terius ex eadem stirpe ac nomine Du-  
 cissæ Amaliæ Sophiæ, quæ Colonix  
 Institutum Carmelitarum Excalceata-  
 rum professæ, Deo suæque salutis de-  
 fervierunt. Ceterum Henrietta suam  
 hæresis, in qua nata & educata fue-  
 rat, ejurationem mox summo Pontifici  
 F f 3                                  datis

(\*) Hæc Abbatia Anno 843. a Duce Lu-  
 dolpho Guelpherbitano pro Romanæ Ecclesiæ  
 Monialibus extructum fuit, & Haimodis  
 ejusdem Filia exstitit prima Abbatissa, ibi-  
 demque Ludolphus ejusque Conjux Oda se-  
 pulci quiescunt: nunc vero hoc Monasterium  
 Lutherani occupant.

Sæc. XVIII. datis significabat literis, in quibus A. C. 1712. vini Beneficii magnitudinem prædicans, amplam sui in Sacram Sedem cultus & filialis obsequii significationem testabatur, vicissim vero Pontifex felicem hunc successum eidem Principissæ, ejusque Patri necnon Corbeien Abbati, cujus opera hæc Ducissa ad veram fidem conversa fuerat, paternis literis die decima septima Septembris gratulatus est: Eodem hoc anno Fredericus Augustus Carolus unicus Saxonici Electoratus hæres, atque Augusti Poloniæ Regis Filius e Lutherana sectæ tenebris ad Catholicæ veritatis lucem opera Patris Joannis Baptiste Salerni & Josephi Kos novi sui Moderatoris traductus est. Hic Princeps sub Prædicantium magisterio a tenerrimæ perversæ doctrinæ venenum hauserat, urgente tamen impensius Pontifice tandem a Patre suo Catholicum Præceptorem nactus, anno priori sub nomine Lusatiæ Comitis Germaniam, Galliam & Italiam perlustratus est, Romanam tamen ex innato Pontificis odio sturdiose declinavit: ast contra vocantis Dei stimulos calcitrare haud diutius poterat, sed Bononiam delatus, victus dedit manus, ibidemque posita contumacia suavissimo Ecclesiæ Romanæ jugo cervices suas subjecit.